

*Auctorem vitæ interfecistis,
quem Deus suscitavit a mortuis.*

Lectio Actuum Apostolorum

3, 13-15. 17-19

In diébus illis:
Dixit Petrus ad pópulum:

¹³ «**D**eus Abraham, et Deus Isaac et Deus Iacob,
Deus patrum nostrórum
glorificávit púerum suum Iesum,
quem vos quidem tradidístis et negástis
ante fáciem Piláti,
iudicánte illo dimítti;

¹⁴ vos autem Sanctum et Iustum negástis
et petístis virum homicídam donári vobis,

¹⁵ ducem vero vitæ interfecístis,
quem Deus suscitávit a mórtuis,
cuius nos testes sumus.

[¹⁶]

¹⁷ Et nunc, fratres, scio quia per ignorántiam fecístis,
sicut et príncipes vestri;

¹⁸ Deus autem, quæ prænuntiávit
per os ómnium prophetárum pati Christum suum,
implévit sic.

¹⁹ Pænitémini ígitur et convertímini,
ut deleántur vestra peccáta».

Verbum Dómini.